

1513 maggio 25, Verola Alghise.

Giovanni *qm* Otino Gatti di Verola Alghise colloca il figlio Evangelista a bottega presso il maestro Pietro Giacomo Zanetti cittadino di Brescia, per cinque anni, allo scopo di apprendere l'arte della pittura.

Brescia - Archivio di Stato: Notarile Brescia, filza 353, notaio Tonino Grena.

Minuta di mano del notaio.

Ediz.: inedito. Cfr.: BOSELLI, 1971, pp. 301-2; BOSELLI, 1976.

(trascr.: T.C., 04.2008)

Conuentio Iohannis de gattis cum Magistro petro Iacobo de zanettis

Die vigesimo quinto mensis maij millesimo quingentesimo tertio decimo Indictione prima In domo Infrascripti domini hyeronimi contestis sita in terra Virolealghisij In burgo Mandrigole¹ presentibus spectabili domino hyeronimo de zanettis ciue brixie Magistro Iacobo de grena et Antognetto filio Gasparini de barberijs de seniga omnibus habitatoribus dicte terre Virolealghisij testibus etc Asserentibus etc

IBi Iohannes filius-quondam otini de gattis habitator Virolealghisij agens per se ac nomine et vice Euangeliste eius filij pro quo etiam ad cautelam de ratho promisit et promittit dedit et operas personales dicti Euangeliste locauit Magistro petro Iacobo de zanettis cui brixie ibi presenti et acceptanti cum quo Ipsum Euangelistam posuit et obligauit per annos quinque continuos proxime futuros Incepturos² In festo sancti Corporis xpisti proxime futuri ad discendum artem picture et ad perseuerandum dictam artem cum dicto Magistro petro Iacobo per dictos annos quinque Cum Infrascriptis pactis Capitulis et promissionibus Inuicem factis videlicet³

[1] Primo quod dictus Iohannes teneatur et obligatus sit et Ita conuenit et solempniter promisit dare soluere et numerare suprascripto Magistro petro Iacobo presenti utsupra libras decemetocto planet in tribus annis videlicet quolibet anno pro rata ad festum sancti Iacobi⁴.

[2] Item quod dictus⁵ Iohannes teneatur et obligatus sit Induere⁶ omnibus vestimentis totis suis propriis expensis pro primis tribus annis. et pro alijs duobus annis predictus Magister petrus Iacobus teneatur Ipsum Euangelistam vestire propriis expensis predicti Magistri petri Iacobi saluo quod dictus Iohannes teneatur facere omnes Interulas necessarias pro vsu dicti Euangeliste in dictis quinque annis:

[3] Item quod predictus Magister Petrus⁷ Iacobus teneatur Ipsum Euangelistam docere dictam artem picture toto suo scire et posse totis suis viribus in dicto tempore

[4] Item quod⁸ casu quo dictus Euangelista non perseuerauerit ad standum cum dicto Magistro petro Iacobo per dictos annos quinque et ad ei seruiendum utsupra defectu uel culpa Ipsius Euangeliste quod dictus Iohannes teneatur {et obligatus sit}ⁱ soluere {et}ⁱ ita promisit || dicto Magistro petro Iacobo ducatos decem auri ad rationem anni {pro tribus primis annis et pro

¹ Corretto da: «Mangrigole».

² Segue: «prima», cancellato.

³ La divisione dei paragrafi e la numerazione sono redazionali.

⁴ Segue: «et sancti Michaelis», cancellato.

⁵ Segue: «Magister», cancellato.

⁶ Segue: «ob», cancellato.

⁷ La «P» iniziale corretta da «I».

⁸ Segue: «dictus», cancellato.

alij duobus teneatur dare ducatos vigintiquatuor pro quolibet anno saluo in casu mortis }⁹ pro tempore quo non steterit cum dicto Magistro petro Iacobo¹⁰ et vltius teneatur ad omnia damna expensas et Interesse etc Promitentes etc obligantes etc Constituentes etc Et renuntiantes etc

De quibus omnibus et singulis suprascriptis rogatus sum Ego toninus de grea notarius publicum conficere Instrumentum ad laudem viri sapientis ||

⁹ Aggiunto nel margine superiore (le ultime parole sono incerte).

¹⁰ Segue: «etc Promite<ntes>», cancellato.